



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Cardicensi, Sydoniensi, & Fermopilensi Episcopis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

sessionibus suis in vita sua conferat, vel in extremo articulo condat Ecclesiis testamentum. Cum igitur ex inhibitione hujusmodi & Ecclesiarum dispendium & inhibentium interitus procuretur, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus illos ut eandem inhibitionem relaxent moneatis attentius & efficaciter inducatis, ipsos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota, sicut iustum fuerit, compellentes. Quod si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum ut in alia.

*SYDONIENSI ET CARDICENSI  
Episcopis, & electo Nazorensi.*

*Epist. 111.  
De ablatis restituendi Ecclesie Citeroni.  
Vide supra epist. 108.*

**C**onquestionem dilecti filij Citerensis electi nobis accepimus presentatam quod nobiles viri V. Alemannus & quidam alij Citerensis diocesis Ecclesias Citerensem & Platamonensem, castellum etiam de Citro, decimas tam Græcorum quam Latinorum, ac possessiones alias ad ipsum & Ecclesias memoratas rationabiliter pertinentes per violentiam invaserunt, & detinent contra iustitiam occupatas. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus illos ut Ecclesias, decimas, & possessiones easdem electo memorato restituant, & de perceptis satisfactionem exhibeant competentem, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota, sicut iustum fuerit, compellatis. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eandem appellatione remota cogatis perhibere testimonium veritati. Quod si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum ut in alia.

*ARCHIEPISCOPO NEOPATRENSI,  
& Episcopo Davaliensi, & electo  
Cytrensi.*

*Epist. 112.  
De decimis felvendis.  
Vide supra epist. 103.*

**C**onquesti sunt nobis venerabiles fratres nostri Larissenus Archiepiscopus & suffraganci ejus quod nobilis mulier relicta bonæ memoriæ Marchionis Montiferrati decimas ipsis debitas nec ipsa persolvit, nec ab hominibus suis Græcis videlicet & Latinis permittit exolvi. Cum igitur decimæ, quæ tributa sunt egentium animarum, à laicis sine salutis periculo detineri non possint, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus eandem nobilem, ut debitas decimas & ipsa persolvat eisdem, & ab aliis persolvi permittat, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita

compellatis. Quod si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum ut in alia &c.

*ARCHIEPISCOPO NEOPATRENSI  
& Priori sancti Demetrii Thessalonicensis,  
& procuratori episcopatus Dimicensis.*

**L**acrymabilem venerabilis fratris nostri Cardicensis Episcopi &c. ut supra epist. C I. per totum. Datum Laterani No. nis Iulij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

*In e. vi exemplari sequens nota adjecta erat in margine superioris epistola & dicitur u. qua sequuntur. Iste littera faciunt rescribere, & sic correpta, postquam fuerunt ambe bullate.*

*CARDICENSI, SYDONIENSI,  
& Fermopilenfi Episcopis.*

**D**ilecti filij Prior & Capitulum domini sepulchri suam nobis obtulere querelam quod cum dilectus filius noster Benedictus tituli sanctæ Sufannæ Presbyter Cardinalis, qui tunc in partibus Romanæ legationis officioungebatur, monasterium sancti Lucae de Sciro cum pertinentiis suis ipsis & eorum Ecclesiæ pia devotione duxerit concedendum, Abbas & monachi ejusdem monasterij Græci Davaliensis diocesis dicti Cardinalis concessioni temere obviantes, fulti quorundam auctoritate potentum, debitam eisdem obedientiam & reverentiam contumaciter denegant exhibere, & tam ipsi quam prædicti potentes ipsis super eodem monasterio graves molestias inferre præsumunt. Nolentes igitur prædictos Priorem & fratres in sua pari iustitia lationem, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus Abbatem & monachos memoratos, ut ipsis Priori & Capitulo debitam exhibeant obedientiam & honorem, & laicos, ut ab eorum molestationibus indebitis penitus conquiescant, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Nullis litteris veritati & iustitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani Idibus Iulij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

*ILLVSTRI CONSTANTINOPOLITANO  
Imperatori.*

**S**i te servum recognovissis illius per quem datur potentialiter omnis honor & conceditur principatus, honorare te condecet sanctam Dei Ecclesiam, sponsam Christi, & ejus ministros sceptro tuæ potentie ab hostium incurisibus defendere, ut dum commoditatibus summi Regis pie intenderis